



Haus der Wissenschaften

DFG



Vg PK 1732

COMMENTATIO
DE
S P L E N D O R E
A R C H I O F F I C I O R V M
IN CAROLI VI. IMP. ROM. GERM.
CORONATIONE,
A V C T O R E
G E O R G I O D A V I D E Aland,
PROFESSORE PVBLICO ET COLLEGIO MAIORI
PRINCIP. COLLEGIATO.



L I P S I A E
APVD IO. CHRIST. LANGENHEMIVM
CIC 1000 LXII.

Kh 1283

СИТАНИИ МОСКОВСКИИ
САПЕЛУНДОВЫ
АРХИОЛТИЧИОРАМ
МОЛДАВИИ И САКОНОМ
СИБИРИКОВО

СЛОВО ДАЧИЕ РИДИ
СЛОВО ДАЧИЕ РИДИ
СЛОВО ДАЧИЕ РИДИ



ФАІЗУР
МУІМІНДОМАЛІТІСІНО ОГСУТА
ДАСАР-



DE SPLENDORE
ARCHIOFFICIORVM
IN CAROLI VI. IMPERAT. ROM. GERM.
CORONATIONE,



Archiofficia in Imperio Romano-Germanico competunt Principibus Electoribus, ita quidem hodie, vt Elector moguntinus sit Archicancellarius per Germaniam, Elector treuirensis Archicancellarius per Galliam et Regnum arelatense, Elector coloniensis Archicancellarius per Italiam, Rex et Elector bohemus Archipincerna, Elector bauarus Archidapifer, Elector saxo Archimareschallus, Elector brandenburgicus Archicamerarius, Ele-

* * *

ctor palatinus Archithesaurarius,¹⁾ Elector hannoueranus
itidem Archithesaurarius.²⁾ Horum archiofficialium vices
subeunt officiales hereditarii, quippe Comes de Althan³⁾
est pincerna, Comes de Waldpurg est dapifer, Comes de
Pappenheim est mareschallus, Comes de Zollern est came-
rarius, Comes de Sinzendorf est thesaurarius.⁴⁾ Hos
vicarios sibi Electores seculares ipsi nominant nexuque feu-
dali constringunt, quod olim erat Imperatoris.⁵⁾ Pap-
penheimius vnicus adhuc durat ex iis familiis, quae in Aurea
Bulla seculo decimo quarto per Carolum IV. illis officiis
deputatae laudantur. Ecclesiastici non habent similes sub-
stitutos, cuius defectus ratio videtur esse, quod literati de-
berent constitui, quae conditio hereditate non transeat.
Archiofficia illa summo adhuc hodie studio adseruntur et
vindicantur a Principibus Electoribus vtriusque professio-
nis, et quamuis non semper omnia occupentur functione
quadam in aula caesarea, omnia tamen tum, quando Imper-
ator aut Rex Romanorum in Germania inauguratur,
quaedam suo Domino ministeria exhibit, qua die Caesari
augustissimo non alia honorificentior per omnem ipsius vi-
tam solet euenire. Huius causa, et cum eius doctrinae
magnus et necessarius sit usus in iure publico nostro, cepi
consilium, archiofficiorum splendorem in Caroli VI. Im-
peratoris coronatione ex actis publicis recensendi et expla-
nandi, cuius rei intelligentiae tanto melius me spero consul-
turum, quanto exactius ipsum ordinem coronandi⁶⁾ et ritus
ecclesiasticos circa id, quod sumnum est, simul pertractauerо,
assisa luce quadam ex legibus Imperii nostri. Carolus VI.⁷⁾
ergo post obitum sui fratris Iosephi⁸⁾ creatus est Rex Ro-
mano-

manorum et Imperator anno M D C C X I. d. 12. Octobr. in
 ciuitate libera imperiali ad Moenum, Francofurti, cui cele-
 bratati Electores coloniensis et bauarus, ab Imperatore Io-
 sepho proscripti, defuerunt.⁹⁾ Dies 22. Decembris anni
 eiusdem et in laudatae ciuitatis aede S. Bartholomaei
 dictus est coronationi. Tum vero matutino tempore et
 clausis Francofurti portis, Electores moguntinus Lotharius
 Franciscus¹⁰⁾ et treuirensis Carolus,¹¹⁾ cum Episcopis et
 abbatibus assistentibus et cum aliis minoribus familiae suae
 ecclesiasticae templum intrant, aduentum Regis coronandi
 praeitolantes. Accedunt deputati norimbergenses curru et
 milite caesareo honorati, apportantes Caroli M. coronam,
 eius ensim, S. Mauritii gladium, sceptrum, globum
 aureum, pluiale seu pallium, dalmaticam, albam, stolam,
 tibialia, sandalia, chirothecas et cingula duo. Haec or-
 namenta et insignia arae sacrarii imponunt et Electoribus
 moguntino et treuirensi mancipant. Opera gemina fun-
 guntur aquisgranenses deputati et Archiepiscopis illis Caroli
 M. acinacem, codicem euangeliorum aureis literis in corti-
 ce arboreo scriptorum, nec non capsulam auream cum re-
 liquiis quibusdam protomartyris S. Stephani, reuerenter
 offerunt. Ex his insigniis Episcopi assistentes librum
 euangeliorum et sanguinem S. Stephani cum receptaculo
 illo altari, regiae consecrationi destinato, credunt, coro-
 nam vero, enses, sceptrum et aureum globum, mensae,
 insignium quieti addictae, prope aram ad epistolae cornu.
 Quae posteriora, dum paululum recubuissent, exceptis
 Caroli M. ensibus, duo aulae moguntinae viri primarii in
 palarium caesareum, vt Regi in ecclesiam protinus solenni-

ter tendenti possent praeferri, auixerunt. Cetera, dalmaticam scilicet, albam, stolam, sandalia, tibialia, chirothecas et cingula, missi norimbergenses conclavi electorali, quod est a sinistra principis altaris in templo S. Bartholomaei¹²⁾ et ab Electoribus creandi Caesaris causa maxime initur, intulerunt et arae eiusdem imposuerunt. Quo facto Comes Linar, socii sui Comitis Werthern ianitoris Imperii munere fungens, occlusit conclave. Pallium autem Imperatoris in mensa insignium dilatarunt, cui deputati vrbium imperialium Norimbergae et Aquisgrani immoti adstiterunt. Hoc temporis interuallo Elector palatinus Iohannes Wilhelmus,¹³⁾ Caroli VI. auunculus, legatus bohemicus Franciscus Ferdinandus Comes Kinskius, legatus saxonius Otto Henricus liber Baro a Frisen, legatus brandenburgicus Christophorus Burggrafius a Dohna, legatus hannoueranus Fridericus Wilhelmus liber Baro a Schлиз dictus Goertz¹⁴⁾ et Mareschallus hereditarius Comes a Pappenheim in curia senatoria¹⁵⁾ conuenerant. Hinc se in palatium caesareum contulerant, sumentes Imperii insignia, ita quidem, ut legatus falso ensim vagina nudarit et mareschallo ianuae patenti propinquo porrexerit, vaginam in mensa ibi relinquens. Post haec solenni pompa¹⁶⁾ cum Romanorum Rege, insidentes equis, abierunt in S. Bartholomaei templum. In hac via, ciuibus vrbis salutantibus armis vtrinque marginata, praeountibus inferioris et superioris dignationis viris et ad comitatum regio-electoralem pertinentibus, in primis hic ordo est habitus, ut legato bohemico a dextra legatus saxonius, a sinistra hannoueranus equitarint. Denique legatus brandenburgicus, Burggrafius

a

a Dohna, gestans sceptrum imperiale, et huic finistrorum
 Philippus Ludouicus Comes a Sinzendorf, praferens coro-
 nam super puluinari. Sequebatur pedes mareschallus
 Electoris palatini hereditarius ¹⁷⁾ cum ense in vagina, mu-
 cronem deorsum. Post hunc Elector palatinus globum
 aureum in dextra tenens. Porro mareschallus imperialis
 Pappenheimius nudum gestans S. Mauriti gladium, apicem
 sursum. Tandem Carolus Rex Romanorum coronam
 bohemicam in capite portans et sub vranisco equitans,
 quem duo consules, sex scabini et duo senatores francofur-
 tani gestabant. Dextrorum Regi Comes ipsius stabuli,
 Philippus Sigismundus Comes sacri Imperii a Ditrichstein,
 a sinistra prope equum nobilis a Regendal, equiferis in
 arena domandis fingendisque superior praefectus, a tergo
 curiae magister Antonius Princeps Lichtensteinius cum
 primitio camerario Rudolpho Comite a Sinzendorf, ince-
 debant. Agmen claudebat nitida militum turba. Quum
 extremae templi portae appropinquarent, quam Imperii
 ianitor aperuerat, Electores moguntinus et treuirensis ob-
 uiam Regi tendunt, ille quidem pontificalia indutus, insulam
 in capite, pedum in manu, praeviis viris ecclesiasticis, mi-
 tram pedumque treuerensis, crucis utriusque Archiepiscopi
 praferentibus. Inter hos etiam erant mareschalli heredi-
 tarii moguntini et treuirenses, portantes gladios electorales,
 et Anselmus Franciscus liber Baro de Warsberg, canonicus
 moguntinus, qui baculum argenteum cum tribus sigillis
 imperialibus anteferebat. Rex equo descendens et templi
 portam ingressus excipitur a duobus Electoribus, in primis
 a consecratore moguntino, piis precibus. Sic mora nasce-
 batur

batur comitatui regio , cuius maior pars in loca sua templi secedere potuerat. Finitis precibus iuerunt moguntinus ad consecrationis altare , Rex in suam precationum sellam , ¹⁸⁾ adstantibus a dextra Pappenheimio cum ense strieto , et Comite Schoenbornio , quem Rex ad actum hunc nominauerat , absente camerario hereditario Comite Zollerano , eum sceptro , a sinistra Comite de Zeil dapifero cum globo imperiali , et Comite de Sinzendorf cum corona super culcita . Sacris hymnis aliquantis per silentibus , Archiepiscopus treuerensis et seruientes Episcopi Regem adduxerunt ad altare , vbi consecrator moguntinus super procumbente in genua pias recitauit precationes. Illi reduxerunt etiam , occupantes ipsi denuo suas stationes. Quo facto moguntinus orsus est sacram Missam , ¹⁹⁾ quae de S. Spiritu dicitur. Antequam decantaretur euangelium , Regem Princeps Lichtensteinus , qui cum scipione in manu ei continuo adhaesit , corona bohemica et archiducali pallio leuauit , huncque ornatum in adstantium procerum ex regia domo depositus manus. Quod quum adhuc in oratorio peractum esset , accesserunt Electores treuerensis et palatinus itemque absentium legati , adducentes Regem ad altare , vbi cum eo et consecratore omnes in genua se submittunt , hoc quidem legente litaniam de omnibus sanctis , ²⁰⁾ respondentibus iis , qui adsistebant , et facellanis. Dum ita sacris operantur , officiales hereditarii cum insignibus ad stationem regiam , precandi causa adornatam , restiterunt , legati tamen Elektorum euangelicorum mox circa supplicationum illarum auspicia recesserant in sua pietatis religiosae exercitationi destinata subsellia. Quum in

in litania peruentum esset ad verba: Ut nos exaudire digne-
ris! surrexit consecrator solus, arripiens pedum archiepi-
scopale, Regi sacerdotalem impertitur benedictionem.
Absoluta litania Carolus Rex Romanorum iusiurandum ad-
uocatiae ecclesiasticae praestitit. Nimirum quaesitus a con-
secratore, an sanctam fidem catholicam tenere et operibus
iustis seruare vellet, an ecclesiis ecclesiarumque ministris
tutor ac defensor esse, an Regnum a Deo concessum iuste
regere et efficaciter defendere, an iura Regni et Imperii,
bona eiusdem iniuste dispersa recuperare, recuperata con-
seruare et in usus Imperii impendere, an pauperum iuxta
ac diuitium, viduarum ac pupillorum aequus esse iudex et
pius defensor, an romano Pontifici ²¹⁾ et ecclesiae reue-
rentiam et fidem vellet exhibere, respondit: Volo, et
omnia praemissa, quantum diuino fultus fuero adiutorio,
fideliter adimplebo, sic me Deus adiuuet et sancta Dei
euangelia! Praestito hoc sacramento interrogavit Elector
moguntinus circumstantes: Vultis tali Principi et Rectori
vos subiicere ipsisque Regnum firmare, fide stabilire atque
iussionibus illius obtemperare? Responsum est: Volumus.
Sic descendit Carolus Romanorum Rex in infimum altaris
gradum, se prostrauit in genua et a consecratore iterum
bene dictis sacerdotali ritu auctus, nudatus est, quantum
ad unctionem nunc celebrandam sufficeret. Aduenerunt
legati. Vestimenta vero unctioni obstantia remouerunt
Burggrafius a Dohna, curiae magister regiae et primus ca-
merarius, quo pacto moguntinus unctionem sacro oleo
perfecit in vertice capitis decussatim, inter humeros, in
ceruice, in pectore, in brachio inter palmam et cubitum,

B

in

in manu tandem, cuilibetunctioni crucis signum addit et verba : Vn go te in Regem de oleo sanctificato in nomine Patris, Filii et Spiritus S. Sacrum chrysma statim post inunctionem quamlibet ante aram ab Episcopis adstantibus lana subtili detersum est. Cui ceremoniae chorus regius suaui symphonia interstrepuit antiphonam : Vnixerunt Salomonem Sadoc sacerdos et Nathan prophetae in Zion et ambulantes laeti dixerunt : Viuat Rex in aeternum etc. Postea Carolus, Rex vngatus, introiit electorale conclavi, apertum per ianitorem substitutum et ubi iam deputati norimbergenses morabantur. Electores treuerensis et palatinus, absentium Electorum legati et primores ecclesiastici Regem comitati sunt, ex quibus Elector palatinus, legatus brandenburgicus, Comites Papenheimius et Sinzendorfius insignia augusta praetulerunt, ut in reditu deinde. In conclavi deputati urbis liberae Norimbergae, genu flexi, tibialia et sandalia, orator vero brandenburgicus, adstantibus curiae regiae magistro et principali camerario, dalmaticam et albam et super his stolam Regi induerunt, deputatis illis bona sua simul officia praestantibus. Episcopi autem denuo loca sacro oleo delibuta purificarunt lana. Ita ornatus Rex cum comitatu suo rediit ad altare innixus genibus super imo gradu. Post illum ad epistolae cornu stetit Elector treuirensis, post hunc Elector palatinus, porro legati. Tum vero consecrator continuauit pia vota pro salute Regis longo sermone, praedicans sigillatim virtutes unctionis sacrae, cuius particeps esset redditus. Hac terminata benedictione Elector treuerensis acinacem Caroli M. Aquisgrano allatum de altari sumxit et Regi nudum in

manus

manus dedit. Quum eius usum probum et necessarium
in republica explicaret consecrator verbisque sacris : Ac-
cingere gladio tuo etc. vteretur, accepit Elector palatinus
acinacem, in vagina recondit et Regi succinxit, praesen-
tibus legatis. Deinde consecratori annulus pretiosus de
altari porrectus est, quem Regi in digitum immisit, pia
explicatione et omine laeto. Ad haec dabantur Principi
Electoris moguntino sceptrum et globus imperialis, qui
illud Regi in dextram, hunc in sinistram dabat. Globum
reddidit Rex Electori palatino, sceptrum legato branden-
burgico. Legatus autem saxonius ensem Caroli M. va-
gina eduxit et mareschallo hereditario dedit, postquam hic
S. Mauritii gladium mensae insignium reddidisset. Carebat
Rex adhuc pallio et corona augusta. Illud Elector pala-
tinus ipsi circumdedit, quum deputati norimbergenses ex
insignium mensa detulissent ad altare, hanc, per sacerdo-
tem ex eadem tabula deponitam, Principes Electores
moguntinus et treuerensis simul solennissime imposuerunt.
Tanto splendore, cum multorum optimatum iuribus exi-
muis et honoribus connexo, vinctus et coronatus Imperator
Romano - Germanicus, ²²⁾ comitante treuirensium Elec-
tore, ad altare ascendiit et digitis libro euangeliorum
impositis iurauit : ²³⁾ Se velle leges et iustitiam, itemque
pacem ecclesiae seruare et promouere, populo subdito
commoda et suum cuique procurare, iura Imperii consilio
Principum tueri, Pontifici, ecclesiae romanae et Episcopis
canonicum exhibere honorem, bona ipsis competentia
protegere, nec non Ordines et vasallos Imperii sueto di-
gnari fauore. Secundum haec treuirensis Elector Impera-
torem

torem in oratorium restituit, comitantibus Electore palatino et oratoribus electoralibus. Hi nunc insignia Imperii gestabant. Elector tamen palatinus aureum globum Comiti Zeilio, et legatus brandenburgicus sceptrum Comiti Schoenbornio, qui camerario hereditario nunc suffetus erat, prope Caesaris subsellium tradidit. Sacra missae requirebant, ut euangelium incineretur, quo facto liber euangeliorum portatus est ad Principem Electorem treuerensem, qui eum Caesari osculandum et suffitum dedidit. Audita sunt symbolum apostolicum et offertorium²⁴⁾ per concentus musicos, in quo temporis tractu Elector treuerensis et assistentes praefules et abbates Caesarem, ut sacrificaret, abduxerunt, qui patinam osculatus in genua procumbens, munus indidit pelui, quam moguntinus ceremoniarius repraesentauerat. Rediit Imperator in oratorium suum, accepit ab Electore treuerensi suffitionem, incensum vocant, et post orationem dominicam a directore chori, Iohanne Philippo Comite Schoenbornio, herbipolitanae ecclesiae praeposito, oblatam Pacem osculandam et aquam lustralem. Elector quoque treuerensis Caesari ademit et puluinari imposuit coronam, quam per legatum hannoueranum sibi additam hereditarius thesaurarius, Comes Sinzendorfius, super culcita inter alios officiales tam diu tenuit, donec Imperatori post coenam sacram iterum imponeretur. Quum ipse consecrator, Elector Princeps moguntinus, sacra eucharistia usus esset, Augustus per Electorem treuerensem et Episcopos addictos ad altare comitatus in primo eius nudo ascensu, cuius puluinari pede remouerat ipse, genibus fultus, a consecratore eodem

eodem sanctissimo refectus est epulo. Recessit piis precibus finitis et ab Electore treuirensi et assistentibus comitatus in oratorium suum, vbi Elector treuerensis coronam imperiale a legato hannouerano, cui Sinzendorfius dederat, accepit et Caesari denuo imposuit. Idem Sinzendorfius, thesaurarius hereditarius, contra accepit coronam domesticam tentum et deinde praelatum. Curiae magister etiam Caesari vellus aureum circumdedit. Erat in aede S. Bartholomaei, haud procul mensa insignium imperialium, thronus caesareus in pegmate, sex gradibus ascendendo, affabre constructus, vice solii, quod Aquisgrani seruant et ab ipso Carolo M. possessum memorant. Eo, quum sacram missae officium penitus esset peractum, Carolum VI. Imperatorem Romano-Germanicum semper Augustum, Electores moguntinus, treuerensis et palatinus, legati Electorum absentium et officiales hereditatii deducunt et in possessionem vel quasi Imperii solenniter mittunt. Elector moguntinus pontificalibus adhuc indutus, pia verba fecit ad Imperatorem in solio residentem, eiue gratulatus fastigium augustum et Imperium commendans, incitor ipse fuit hymni ambrosiani, succinente musica caesarea inter tubarum tympanorumque honorificos tumultus, inter populi acclamations: Viuat Carolus! inter campanarum festiuos clangores, inter bellicorum in vallis tormentorum laeta tonitrua. Inter haec Electores moguntinus et treuerensis in sacrarium abeuntes, vestimenta sua liturgica deposuerunt, amictum electorale resumentes. Elector palatinus, legati et officiales hereditarii restiterunt penes Caesarem. Tum vero et durante adhuc Te Deum laudamus,

Caesar augustissimus functus est ritu, quo, ex Germanorum antiquis deriuato institutis, honores equestres splendide conferri solent. Creavit scilicet equites, qui omnes iam nobilitatis titulo conspicui et a Caesare et Electoribus ad hanc celebritatem fuerant praenominati, gladio Caroli M. quem vagina nudatum legatus saxonicus attulerat. Inter eos primus fuit Fridericus Baro de Dalberg, vormatiensis ecclesiae camerarius, ob prisca priuilegia suae familiae per Imperatores impertita. Cum omnes reliqui sic honorum equestrium participes euasissent, Imperator ensem legato saxonii et hic mareschallo Pappenheimio reddidit. Secundum haec descendit Carolus VI. in oratorium suum, vbi decanum, cantorem et syndicum ecclesiae aquisgranensis inuenit, supplicantes, vt more priorum Imperatorum canonicus ecclesiae suae fieret eiusque iura confirmaret, cui lubens annuit. Ergo iurauit his verbis: Nos Carolus diuina sauente clementia Romanorum Rex, ecclesiae nostrae beatae Mariae aquensis canonicus, promittimus et ad haec sancta Dei euangelia iuramus eidem ecclesiae fidelitatem et quod ipsam, iura, bona et personas eiusdem ab iniuriis et violentiis defensabimus eiusque priuilegia et consuetudines confirmamus. Commoda, quae ecclesiae aquisgranensi ex coronatione regia antiquitus debentur, sunt haec: Pannus cum puluinis, super quo Rex templum aquisgranense ingressus primas Deo preces fundit, pannus stratus super scanno, in quo ante coronationem suam orare solet, trabea seu chlamys, item vestis, in qua Rex coronatur, duo tapetes aurei, unus iniectus sedi ante aram beatae Mariae virginis, alter quo solium regale in alto monasterio decoratur,

tur, soluuntur item pro iuribus ecclesiae more praelatorum quinquaginta sex aureorum florenorum, nec non tres carraeae seu dolia vini optimi, quarum duae ecclesiae diuae virginis, tertia collegio diui Adalberti aquensi cedere fuerunt.²⁵⁾ Caesar haec edictus ecclesiis satisfecit. Acciperunt etiam deputati postea literas ab electorali collegio, tum ab ipso Imperatore, cauentes, ne solennia inaugurationis caesareae, nunc Francofurti patrata, ex sententia tamen et praescripto Aureae Bullae Aquisgrani²⁶⁾ in ciuitate libera imperiali celebranda, huic vnquam fraudi esse deberent, sed eiusdem iura semper salua et illibata. Hoc pacto sumimam feliciter manum iis admouerant, quae initiationis caesareae causa in templo fuerant expedienda, redditum ergo moliuntur in curiam senatus. Haec processio dispar est in eo ab introitus, quod ecclesiastici simul adfuerint Principes Electores, et omnes, et Caesar ipse sacratissimus, pedites incesserint. Ex praecedentium Caesari numerosa turba mihi maxime sunt annotandi trium praesentium Electorum mareschalli hereditarii, enses electorales vaginis copertos et cuspidibus inuersis gestantes. Post hos nobilis a Warsberg cum baculo argenteo et inde pendentibus sigillis imperialibus, Comes a Zeil dapifer hereditarius et loco camerarii hereditarii Comes a Schoenborn, ambo hi tamen insignibus cassi. Sequebantur quatuor legati electorales, brandenburgicus quidem sceptrum gestans, porro thesaurarius Sinzendorfius coronam domesticam praeferens, Elector palatinus globum aureum in manu tenens, mareschallus Pappenheimius gladium exsertum portans et tandem sacra caesarea maiestas, Carolus VI. infulis regiis ad-

huc



huc ornatus, hoc est, sub corona et pontificalia induitus,
 et sub vranisco in manu senatus, ut in accessu. Ad latus
 dextrum, sed seorsim paululum, Elector moguntinus, ad
 sinistrum Elector treuerensis, oram pallii seu pluialis cae-
 sarei complexus, remotius vero curiae caesareae magister et
 spiculatorum cum lanceis praefectus incedebant. Desit
 agmen in milites, quos Electores moguntinus, treuerensis,
 et palatinus corporum custodes habebant, secundum quos
 erat centuria militiae francofurtensis. Via, qua comme-
 auerant, asseribus erat strata et panno obducta. Haec plebi
 arridebant, haec nunc eia in commune, haec nunc pro-
 cul visentibus iucundum spectaculum. Vbi in curiam se-
 natoriam venerant, Imperatorem Electores et legati in con-
 clave, quod praeconsultationibus inservierat, comitantur
 et insignia mensae imponunt, Electores in suum quisque
 conclave, legati in unum secedunt, ut animi curam in die
 tam negotiosa paulisper remittant. Quo facto Caesarem
 iterum adeunt et cum eo in coenaculum pergunt, cuius ia-
 nuam seruabat ianitor imperialis cum milite caesareo et sa-
 xonico. Ibi tabulae suo splendebant ordine, nemo tamen
 pransum eas occupabat prius, quam functiones in Aurea
 Bulla ²⁷⁾ praecriptae ab archiofficialibus essent procuratae.
 Spectatum adstiterunt Imperator solus fenestrae secundae,
 Electores moguntinus, treuirensis et palatinus primae, le-
 gati bohemus et saxo quartae, legati brandenburgicus et
 hannoveranus quintae, tertiae luminibus thronus caesa-
 reus officerat. Pappenheimius ergo mareschallus, nomi-
 ne Archimareschalli absens, primus abiit, satellitum et
 tubicinum grege praecuius, ante curiam ascendit equum et
 tuba-

tubarum tympanorumque musica excitus in aceruum aue-
nae, quem intra cancellos milite custoditos inuenit, vsque
ad sellam equitauit, ibi hausit modiolo argenteo auenam,
eum regula argentea hostiuit et effudit, rediens in coena-
culum. Auena paulo post in praedam populo acreuit.
Descendit curia Elector palatinus Archidapifer Imperii,
habitu electorali venerabilis, in comitatu quorundam pro-
cerum et militum, quibus praeuius erat mareschallus
electoralis hereditarius, ensem vagina tectum et inuerso
cuspidem portans. Ante curiam Elector insedit equo ac in-
ter concentus musicos equitauit ad culinam intra carceres,
vbi integer bos, alitibus et quadrupedibus farctus, per ali-
quot iam dies assabatur. Inde frustum assatura in patinam
argenteam accepit, id conditum operculo simili per came-
rarium suum primum et stabuli comitem sibi preeportan-
dum curavit in coenaculum, vbi tabulae caesareae super-
positi. Mox irrumpte plebe bos et culina perierunt,
licet, infortunii cauendi causa, decretum esset, assuratam
residuam militibus donatiuum addere. Sequi debuissest
archiofficium Camerarii. Sed legato brandenburgico
propter multitudinem circumfusam equus adduci nondum
potuerat. Hinc saluo eius iure ac ordine, nomine Electo-
ris hannoverani, Archithesaurarii S. Imperii, thesaurarius
eius hereditarius Sinzendorfius cum anteambulonibus tubi-
cinibus militibusque adequitauit. Equum ornabant loco
capsularum, in quibus sclopeta condi solent, crumenae
praegnantes aere coronario, vnde ad septa fori missilia
sparsit. Nummi aurei et argentei propterea cusi, in antica

C

facie

facie habent coronam augustam , subscriptis verbis : Car-
 rolus Hispaniar. Hung. et Bohem. Rex A. A. electus in Re-
 gem Roman. coronatus Francof. d. 22. Dec. 1711. in postica,
 terrarum orbem nubibus ambitum cum Caroli VI. symbo-
 lo: Constantia et fortitudine. Reuersus Sinzendorfius est
 in curiam. Successit legatus brandenburgicus ¹⁸⁾ Burg-
 grafius a Dohna, fungens Archicamerarii officio, apparatu
 militari musicoue , vt priores. Intra cancellos delatus ad
 puteuni equitauit, iussitque , peluum , guttum ex argento,
 et manutergium, quae in mensa prope culinam quieuerant,
 sibi apportari. Quo facto mantile imiecit brachio sinistro,
 peluum sub alam , guttum in dextram recepit et aquam
 manualem Caesari apportauit in senaculum. Tandem , in
 eodem ab archioscialibus hactenus frequentato foro , ex
 fonte, cui supererat aquila biceps coronata, vinum rubrum
 profiluit et album , similae quoque sunt exoneratae in ple-
 bem , tripudiis et acclamationibus : Vivat Carolus VI !
 personantem aera. Post haec Electores et legati Impera-
 torem in suum conclave sunt comitati. Quumque men-
 sae dapibus essent instructae , eum ad prandium reduxerunt,
 ita , vt insignia vicissim praeferrent, Elector quidem pala-
 tinus globum aureum et legatus brandenburgicus sceptrum.
 Ad mensam , quae quater erat gradata , ¹⁹⁾ Imperatori
 Comes Harrach , cui functio Archipincernatus deman-
 data , depositus Augusto coronam et tabulae non procul
 adstanti reddidit , missus vero brandenburgieus Caesari
 aquam et mappam , manus lauatum , porrexit. Eadem
 legato peluis et guttus , quemadmodum Pappenheimio mo-
 diolus

diolus et hostorium , dapifero hereditario patina , lucro cesserunt .³⁰⁾ Ante mensam Caesaris stabant Electores moguntinus et treuerensis , qui quum preces praeiuissent , baculum argenteum , ex quo tria sigilla imperialia pendebant , ab ecclesiae moguntinad canonico Warsbergio acceptum , contra Caesarem tenebant . Paulo post Elector moguntinus sigilla soluit et Caesari in mensa praeposuit , qui sine mora restituit Electori . Ea nunc Archicancellarius idem Imperii per Germaniam collo suo appendit et ornatu tali adsedit suae mensae , Caesarem post prandium in palatium fecutus et in suam ipsius mansionem est regres sus . Sigilla post aliquot dies in custodiam , scipionem vero argenteum dono accepit Vicecancellarius Schoenbor nius , vt Aurea Bulla³¹⁾ iubet . Caesar accubuit solus suae mensae , aderant tamen adhuc in hoc caesarei accubitus conclaui pro singulis Electoribus mensae aulaeis laqueatae vnoue gradu³²⁾ altiores pauimento cum abacis vasariis , et post treuerensis mensam e regione Caesari ,³³⁾ mensa sine laqueari pro Principibus Imperii , nec gradu edita , praeparatae . Electores in suis pransi sunt , absentiā legati et Principes , more maiorum , deerant ,³⁴⁾ honoris causa solummodo eorum tabulis inseruitum est tribus patinis clausis , et semel , Principum in tabula viſae sunt plures , praesertim tragemata eam ornabant . Imperatori latores ciborum Comites imperiales fuerunt , praeeuntibus fecialibus , duobus satellitibus caesareis , Pappenheimio marſchallo cum baculo et dapifero primum ferculum gestante . Cibos incidit³⁵⁾ Dux Alexander Wurten

C 2
bergae,

bergae, potum Comes Harrachius ministrauit, substitutus
 pincernae hereditario, post prandium aquam manibus ab-
 luendis praebuit Dux modo memoratus, legatis in prandio
 saxonis morantibus. In aliis curiae senatoriae nunc tricliniis
 apparatae quoque sunt mensae pro S. R. I. Comitibus,
 pro honoratioribus ex comitatu caesareo et electorali, nec
 non pro deputatis ciuitatum liberarum. Surgente Impe-
 ratore accesserunt Electores moguntinus et treuerensis ad
 tabulam, preces dixerunt suetas, ³⁶⁾) et Caesar imposita
 corona et Electores itemque legati quisque in sua conclauia
 curiae senatoriae recesserunt. Post aliquam moram re-
 gressi sunt in palatium caesareum, cuius processionis hic
 ordo, haec ratio fuit. Imperator ornatu suo et corona
 fulgidus abiit in curru suo rari operis, ante ipsum legati
 electorales etiam uno curru, post Caesarem tres Electores
 amictibus solennibus adhuc conspicui in rheda moguntina.
 Quod si currus Electoris palatini opportunus ad manus
 fuisset, idem Princeps Elector solus ante Caesarem et duo
 Principes Electores ecclesiastici statim post eum vexissent.
 Ita condixerant. Interea iterum insignia imperialia Caeſari
 praelata sunt, a Pappenheimio gladius, a Comite Zeilio
 globus, a Schoenbornio sceptrum, a Sinzendorfio coro-
 na, quae audit domestica. Hi omnes officiales hereditarii
 equitabant. Ad palatium caesareum accedentes, ipse pa-
 latinus Elector sumvit globum aureum, legatus bran-
 denburgicus sceptrum, et illi singuli praefto erant Caeſari
 in conclave suum vsque, vbi valedicentes in suam quisque
 domum vehiculis recedunt. Mox ad Caesarem adhuc de-
 putatis

putatis noricis patuit aditus , qui in eius praesentia cistis insignia includunt et manum Augusti clementissimi osculo venerati , cum nobili suo comitatu in hospitium reue- hunt. Ita finiit auspicato dies , sacra coronationi augustae Caroli VI. Imperatoris Romano - Germanici et celeberrima splendore archiofficiarum.

- 1) Quum post cladem Friderici V. Electoris palatini , coronam bo- hemicam affectantis , et per pacem westphalicam Electoratus palati- nus ad Bauariae Ducem peruenisset , is quoque archidapiferatu potitus et Carolus Ludouicus , Friderici V. filius , nouum Electro- ratum cum archithesaurarii munere consecutus est . Electore bauaro autem ab Imperatore Iosepho proscripto , quod in bello hispanico hostibus Imperii se sociasset , palatinus Elector pristinum locum in electorali collegio et officium archidapiferi recuperavit . Est haec ratio , quamobrem palatinum in coronatione Caroli VI. prouincia archidapiferi fungentem animaduertimus . Sparta vero archithesaurarii per inuestituram a Caesare collata est Georgio Ludouico Electori hannoverano , ea conuentione , vt redderet palatino , si bauarus in integrum restitueretur et ad eundem archi- dapiferatu rediret . Id ipsum euenit badensi pace , bauarus rece- pit archidapiferatum et tandem Elector palatinus functionem archithesaurarii . Acta publica STRVVIIS in corp. iuris publici p. 345. indicat . De origine vero et progressu archidapiferatus digna sunt , quae conferantur , ex Dom. L. B. de SENCKEN- BERG Meditatt. de semper viridi vsu priisci germanici ciuilis et publici iuris in subsequentibus Imperii LL. p. 164. §. LXVII. seqq.
- 2) Elector hannoveranus in Caroli VI. coronatione officium archi- thesaurarii exercet , quippe quod a palatino acceperat , vt in nota praecedente monui . Et quamuis in fauorem palatini se illo de- inde abdicasset , tamen in prooemio CAPITULATIONIS FRANCISCI IMPERATORIS et in literis reuersalibus , vt vocant , eiusdem su- per suo pacto regali , conspicuus est archithesaurarii elogio . MOSERVVS ad Capitulationem Franc. Imp. T. II. p. 6. §. 2.

C 3

3) Ex-

- 3) Extinctis Limpurgiis, Archipincernae officialibus hereditariis, Carolus VI. tanquam Bohemiae Rex et Elector, Michaelm Iohannem Comitem Althanum vicepincernatu illo anno 1714. investit. *LVNIG.* in corp. iuris feudalis germ. T. II. p. 151.
- 4) Si nec officiales hereditarii archiofficialium vices subire possunt, id faciunt officiales aulici Caesaris, ut vult *AVREA BULLA* cap. 27. §. 6. Si vero ipsi (officiales hereditarii) vel eorum aliqui a praefata curia se duxerint absentandos, ex tunc imperialis vel regalis curiae cottidiani ministri vice absentium, puta quilibet in loco eius absentis, cui in vocabulo seu officio communicat, sicut geret officium, sic tollat in praemissis et fructum. *IBIDEM* cap. 29. §. 3. Si vero ipsi (officiales hereditarii) vel aliqui eorum absentes fuerint, ex tunc officiales imperialis sine regalis curiae, qui talibus praesunt officiis eorum, quorum supplerent absentiam, singuli singulorum, sicut vicem nomenque et laborem suffirunt, sic lucrum et commodum reportabunt. Add. §. 4. vbi imperialis curiae mareschallus Papenheimio succenturiatur. Haec Aureae Bullae capita per CAPITULATIONEM IMPERIALEM art. 3. §. 24. ita immutantur, ut officialibus hereditariis emolumenta sueta sint salua, licet eorum personas aulici sustinuerint.
- 5) Argumenta huius doctrinae iuris publici prostant p. 325. §. 9. REPERTORII iur. publ. et feudalis.
- 6) DIARIVM coronationis Caroli VI. pag. 28. seqq.
- 7) Carolus VI. natus calend. Octobr. anno 1685. declaratur Rex Hispaniae d. 12. Septembr. 1703. et resider Barcellonae ex anno 1705. vsque ad 1711. Post obitum Iosephi eligitur Romanorum Rex d. 12. Octobr. et coronatur d. 22. Decembris 1711. Inauguratur Rex Hungariae d. 22. Maii 1712. et Rex Bohemiae d. 5. Septembr. 1723. moritur d. 20. Octobr. 1740. ultimus dominus austriacae. Patrem habuit Leopoldum Imperatorem, matrem Eleonoram Magdalenam, Philippi Wilhelmi Comitis palatini neoburgici filiam, vxorem Elisabetham Christinam, Ludouici Rudolphi, Duci brunsvicensis natam.
- 8) Iosephus Imperator mortuus est d. 17. April. anno 1711. et Carolus VI. electus Rex Romanorum iureiurando ipse die 19. Decembr. eod. anno Capitulationem in conclavi electoralii aedis S. Bar-

S. Bartholomaei muniuit, qui est terminus Vicariatus, quando per Caesaris mortem solium imperiale vacauit. Ergo interregnum per nouem fere menses durauit, in quo Electores palatinus et saxe Vicariatum administrarunt.

- 9) Non omiserunt Electores ambo literas suas praeteritioni oppondere. Scriptum coloniensis datum est Valencienis d. 4. Iulii 1711. latino stilo, bauari Luxenburgi d. 7. Iul. eod. a. germanice. Vtrumque in DIARIO electionis Caroli VI. Imperat. p. 42. seqq. legitur. Etiam Albanius, papalis nuntius, proscriptis strenue studuit, sed nihil effecit, vid. CORPVS HISTORIAE GERM. (edit. anno 1753.) Tomo II. pag. 1483. in nota 15.
- 10) Lotharius Franciscus Comes Schoenbornius natus anno 1655. Episcopus bambergensis d. 9. Octobr. anno 1693. Archiepiscopus et Elector moguntinus d. 2. Maii anno 1695. mortuus est d. 30. Ianuar. 1729.
- 11) Carolus Iosephus Ignatius, Dux Lotharingiae, Episcopus osnabrugensis anno 1698. Archiepiscopus et Elector treuerensis anno 1710. mortuus est anno 1715. Patrem habuit Carolum IV. Leopoldum, Ducem Lotharingiae, matrem Eleonoram Mariam, Leopoldi Imperatoris fororem et Michaelis Regis Poloniarum viduam. Elector ille treuirense est simul patruus Francisci Imperatoris. Nam huius pater Leopoldus Iosephus Carolus, qui pace risuensi Lotharingiam recuperabat, est Electoris natu maior frater.
- 12) Fundatio huius aedis iam ad Pipinum Regem Francorum, donationes praincipuae ad Carolum M. Ludouicum pium, Carolum crassum et Ottones Imperatores referuntur. Addicta mansit sacris ecclesiae catholicae, quum Francofurtum, vbi sita est, cultum euangelicae sequeretur. LERSNER in chron. Francof. p. 103. c. 33. libri II.
- 13) Iohannes Wilhelmus lineae neoburgicae senioris Elector palatinus natus est anno 1658. d. 19. April. Successit patri Philippo Wilhelmo anno 1690. in matrimonio habuit Mariam Annam Iosepham, Ferdinandi III. Imperatoris filiam, et postea Mariam Annam Ludouicam, Cosmi III. magni Ducis Hetruriae filiam, quae ipsi superuixit. Mortuus sine liberis anno 1716. d. 8. Junii

Iunii successorem in Electoratu accepit fratrem Carolum Philippum. Eo anno 1742. etiam defuncto, Electoratus deuenit ad Carolum Philippum Theodorum, lineae neoburgiae iunioris seu solisbacensis, qui hodie adhuc feliciter regnat.

- 14) Ad solennia electionis et coronationis Caroli VI. Imp. a Principibus Electoribus missi sunt, a moguntino nobilis a Lassler, Comes Stadion et Schoenborn, a treuirensi nobiles a Sohler, ab Eltz et a Kesselstad, a bohemio Fridericus Ernestus Comes a Windischgraez primus, Franciscus Ferdinandus Comes a Kinski secundus, Caspar Florens a Consburg tertius legatus, a palatino Iohannes Ferdinandus liber baro a Sikingen primus, Aloysius a Metzger secundus legatus, a faxone Otto Henricus liber Baro a Friesen primus, Georgius Comes a Werthern secundus, Iohannes Wilhelmus Ludouicus liber Baro ab Hagen tertius legatus, a brandenburgico Christophorus Burggrafius a Dohna primus, Henricus ab Henniges secundus, et hoc d. 26. Aug. anno 1711. solum prima vice quum consultationibus super Romanorum Regis creatione vacasset, mortuo, Ernestus Comes a Metternich, Gustaus liber Baro de Martefeld tertius legatus, ab hannouerano Fridericus Wilhelmus liber Baro de Schlitz dictus Goerz primus, Christophorus a Schradern secundus legatus.
- 15) Curia senatoria Francofurti ad Moenum dicitur *der Nömer*, quod nomen possessori fuit, a quo primam domum ad eas, vnde constat curia, senatus acquisiuit. LERSNER in chronicō francof. pag. 264. libri I.
- 16) De tali processione haec ordinat AVREA BVLLA cap. 22. §. vii.
Ad declarandum in Imperatoris vel Regis Romanorum deambulantis praesentia processionis ordinem Principum Electorum statuimus, ut quotiescumque in celebratione imperialis curiae Principes Electores cum Imperatore vel Rege Romanorum in quibuscumque actibus vel solennitatibus processionaleriter ambulare contigerit et imperialia vel regalia debuerint insignia deportari, Dux Saxonie imperialem seu regalem ensim deferens, Imperatorem seu Regem immediate praecedat et inter illum et Archiepiscopum treuirensim medius habeatur. Comes vero palatinus pomum imperiale portans a latere dextro et Marchio brandenburgensis sceptrum deferens, a sinistro latere ipsius Ducis Saxoniac linealiter gradiantur. Rex autem Bohemiae Impe-

Imperatorem seu Regem ipsum immediate , nullo interueniente, sequatur. Et cap. 26. §. 1. Et ascensis equis omnes vadant cum Imperatore vel Rege. §. 2. Portabit etiam Archicancellarius , in cuius archicancellariatu fuerit haec (curia) super baculo argenteo omnia sigilla et typaria imperialia sue regalia. §. 3. Seculares vero Principes Electores sceptrum , pomum et ensem , secundum quod superius exprimitur , deportabunt. §. 4. Portabuntur etiam immediate ante Archiepiscopum treuerensem , suo loco transeuntem , primo aquisgranensis , secundo mediolanensis corona , et hoc ante Imperatorem duntaxat , qui iam est imperialibus insulis decoratus , quas gestabant aliqui Principes inferiores , ad hoc per Imperatorem iuxta beneplacitum deputandi. §. 5. Imperatrix etiam vel Regina Romanorum , suis augustalibus amicta insigniis , post Regem vel Imperatorem Romanorum , ac etiam post Regem Bohemiae , qui Imperatorem immediate subsequitur , competentis spatii interuallo , suis associata proceribus , suisque comitata virginibus in locum sessionis procedat.

17) Etiam Electores et alii ecclesiastici et seculares Imperii nostri Principes habent in terris suis mareschallum , pincernam , dapi-ferum , camerarium , imo plures huius generis officiales interdum , de quo vid. Dn. BVDERVS de feudis officialium hereditariorum et prouinciarum Regni germanici. Cui duo exempla iuris publici austriaci subiungam. Quum Reginae Hungariae d. 22. Nouembris 1740. ordines Austriae inferioris homagium Viennae iurarent , in solenni processione pileus archiducalis , sceptrum et globus Reginae praeferebantur. Inter officiales prouinciae erant quoque falconarius falconem nitide vestitum super manu gestans et venator hereditarius cane molosso instrutus. Quum Carolus Albertus , Elector Bauariae , d. 2. Octobr. 1741. ordines Austriae superioris in sua verba Lintzii adigeret , eiusque celebritatis causa itio splendida fieret in templum , officialium quoque honor enituit. Comes stabuli Electori equum adscendenti tenuit stapiam et proxime pedes praesto fuit equitanti. Vexillifer vexillum prouinciae , tecto capite , mareschallus , aperto capite , nudum ensem , scutifer scutum in sinistro brachio praetulit. Electori aedem intranti capellanus prouincialis aquam lustralem obtulit , in oratorium deducto , post euangelium , codicem

D

euanc-

euangeliorum osculandum praebuit, itemque pacem inter Agnus Dei. Supellestili argenteae praefectus prouincialis mensam Elecotori mappis et reliquo apparatu, dum pararetur prandium, prouidit, dapifer prouincialis, quem stabuli comes praecedebat, intulit dapes, viginti quatuor nobilibus in subsidium huic ope-
rae corrogatis. Incisor prouincialis aquam manualem porrexit. Capellanus prouincialis preces ad mensam ante et post prandium dixit. Pocillator prouincialis primum dedit potum. Quum bellaria importarentur, monetarius prouincialis hereditarius in orbe argenteo nummos memorabiles Elecotori praesentauit. Omnes autem officiales prouinciae hereditarii septendecim, Carolò Al-
berto tum inseruientes, hi fuerunt: Aulae praefectus Baro a Weix, carnerarius Wilhelmus Comes a Tierheim, mareschallus Gundemari Comitis a Stahrenberg filius, stabulo praepositus Comes ab Hohenfeld, pocillator Baro a Clam, dapifer Gottlieb Comes a Tierheim, rei argentariae praefectus Lobgott Comes a Kuffstein, venator Norbertus Comes Sallerburg, magister coquinae nobilis a Gera, vexillifer Ernestus Comes a Sprinzenstein, monetarius Franciscus Comes Sprinzenstein, incisor Comes Fuggerus, scu-
tifer Leo Comes Hohenec, falconarius Gundacker Comes Tier-
heim, bacillifer Richardus Comes Sallerburg, ianitor Comes Serau senior, capellanus aulicus praeful Steyergaerstensis. *Acta* interregni ab obitu Caroli VI. Imp. T. I. p. 36. T. III. p. 93.
Diarium electionis Caroli VII. Imperat. pag. 17. et 161. In-
terea ex iis, quae hic disputauit, patet, archiofficiales, die Erz-
beamte oder Churfürsten, officiales hereditarios et illorum substi-
tutos, die Erbbeamte, officiales aulicos, die Hofbeamte, ut ma-
reschallum, pincernam etc. in aula caesarea, officiales territo-
riales, die Landbeamte, ut dapiferum, camerarium etc. in Principum
Imperii prouinciis, quam maxime ab inuicem distinguendos esse.

18) Haec sella tribus pedibus e regione altaris, consecrationi augu-
sta dicati, alta fuit, sub coelo pensili ex aureo panno.

19) Ita iubet AVREA BVLLA cap. 2. §. 1. Postquam Electores seu
nuntii ciuitatem Frankfurt ingressi fuerint, statim sequenti die
dituculo, in ecclesia S. Bartholomaci apostoli ibidem, in omnium
ipsorum praesentia missam de sancto Spiritu faciant decantari. Id
moris est in electione et coronatione Caesaris. Conf. LIMNAEVS
ad

ad A. B. pag. 192. obseruat. 6. et LVDEVIGIUS ad A. B. T. I.
p. 308. k.

- 20) De origine huius litaniae legi potest WALAFRIDVS STRABO de exordiis et incrementis rerum ecclesiast. c. 28. in bibl. max. patrum p. 198. T. XV. ybi: *Litania sanctorum nominum*, inquit, *postea creditur in usum assumta, quam Hieronymus martyrologium, secutus Eusebium caesareensem, per anni circulum conscripsit, ea occasione ab Episcopis Chromatio et Eliodoro illud opus rogatus componere, quia Theodosius religiosus Imperator in concilio Episcoporum laudauit Gregorium cordubensem Episcopum, quod omni die missas explicans eorum martyrum, quorum natalia essent, nomina plurima commemoraret.* Walafridus ille natione germanus, fuit ab anno 844. abbas Augiae diuitis in dioecesi constantiensis usque ad a. 849. quo perhibetur obiisse. De litaniis copiosus videri potest CAROLVS du FRESNE p. 233. T. IV. in glossario latinitatis.
- 21) Literas Caroli VI. quoque, quibus Clementem XI. P. M. de sua electione certiores reddidit, inuenies apud ill. BVDERVM cap. i. §. 42. de legationibus obedientiae Romam missis.
- 22) Ante coronationem electus vocatur Romanorum Rex filio publici iuris nostri.
- 23) Hoc iuriandum respondet AVREAE BULLAE cap. 2. §. 1. vbi Electores virum iustum, bonum et utilem iubentur creare Imperatorem.
- 24) Offertorium seu offerenda est antiphona, quae canitur in ecclesia romana, quando celebrari debet oblatio. Gregorius M. instituisse dicitur et ad missam cantari pracepisse, p. 1322. et 1329. T. IV. glossarii per du FRESNE.
- 25) Insuper aquisgranenses vrbi suae equum, quem Rex Romanorum in itu ad templum coronationis causa sub vranisco sedidit, nec non consuli manipulum nummorum, quos thesaurarius in vulgus disseminat, deberi contendunt. Vid. Bericht über des Königlichen Stuhls und des heil. R. R. freyen Stadt Achen bei denen Kronungen derer Römischen Könige und Kaiser habende Gerechtsame, nebst Beylagen, ad calcem DIARII coronationis Caroli VI. Imp. Quumque in eodem scripto insignium, quae Norimbergae afferuantur, custodiad Aquisgrano potius deberi statueretur, vt

serram ducere solent, norimbergenses opposuerunt Gegenbericht
etc. in der Staats-Cansley T. XX. cap. 6.

- 26) AVREA BULLA cap. 28. §. 5. Inuenimus etiam ex clarissimis re-lationibus et traditionibus antiquorum, illud a tempore, cuius con-trarii iam non habetur memoria, per eos, qui nos praecesserunt, (inquit Carolus IV. Imperator) feliciter, esse iugiter obseruatum, ut Regis Romanorum, futuri Imperatoris, in ciuitate Francford celebraretur electio, et prima coronatio Aquisgrani, et in oppido Nuremberg prima sua regalis curia haberetur. Quapropter certis ex causis, etiam futuris praemissa seruari debere temporibus, de-claramus, nisi praemissis omnibus, seu eorum alicui impedimentum legitimum obuiaret. Ad hunc locum p. 586. obseruat. 9. LIM-NAEVS exhibet catalogum Imperatorum Aquisgrani coronatorum.
- 27) AVREA BULLA cap. 27. §. 1. Primo, Imperatore vel Rege ipso in sede regia sive solio imperiali sedente, Dux Saxoniae agat officium suum hoc modo: Ponetur ante aedificium sessionis imperialis vel regiae aceruus auenae, tantae altitudinis, quod pertingat usque ad pectus vel sellam equi, super quo sedebit ipse Dux, et habebit in manu baculum argenteum et mensuram argenteam, quae simul faciant in pondere duodecim marcas argenti, et sedens super equo, primo mensuram eandem de auena plenam accipiet et famulo primi-tus venienti ministrabit eandem. Quo facto, sigendo baculum in auenam, recedet et vicemareschallus eius, puta de Pappenheim, ac-cendens, vel eo absente mareschallus curiae, ulterius auenam ipsam di-stribuet — §. 3. Deinde Marchio brandenburgensis, Archica-merarius, accedat super equo, habens argenteas pelues cum aqua in manibus ponderis duodecim marcarum argenti, et pulchrum ma-nutergium, et descendens ab equo, dabit aquam domino Imperatori vel Regi Romanorum, manibus ablwendis. §. 4. Comes palatinus Rheni intrabit similiter super equo, habens in manibus quatuor scu-tellas argenteas cibis impletas, quarum quaelibet tres marcas habeat in statera et descendens ab equo portabit et ponet ante Imperatorem vel Regem in mensa. §. 5. Post hos Rex Bohemiae, Archi-pincerna, veniat similiter super equo, portans in manibus cuppam seu scyphum argenteum (Archipincernatus officium cum praescrip-to splendore non est expeditum in Caroli VI. coronacione) ponderis duodecim marcarum, coopertum, vino et aqua permixtum imple-

impletum, et descendens de equo, scyphum ipsum Imperatori vel Regi Romanorum porriget ad bibendum. Ita adumbrantur officia, ut olim reuera fuerunt.

- 28) Singulare hic occurrit, quod legatus brandenburgicus, non vero officialis hereditarius Electoris, Comes Zolleranus, fungatur Archicamerariatu, absente domino suo, de quo vid. REFERTORIUM iuris publici et feudalis p. 6. §. 18. nota ** pag. 324. §. 7. et in primis p. 327. §. 5. vbi pactis id deberi contenditur.
- 29) AVREA BULLA cap. 28. §. 1. Imperialis mensa vel regia sic debet aptari, ut ultra alias aulae tabulas siue mensas in altitudine sex pedum sit altius elevata, in qua, praeter Imperatorem romanum duntaxat vel Regem, die solennis curiae nemo penitus collocetur. Iubet quidem eadem lex Imperii cap. eod. §. 2. Sedes et mensa Imperatricis siue Reginae parabitur a latere in aula, ita quod ipsa mensa tribus pedibus imperiali siue regali mensa sit bassior et totidem pedibus eminentior, supra sedes Principum Electorum. Sed Caesaris vxor in coenaculo mariti hoc die coronationis non solet prandere.
- 30) Talia in fauorem officialium hereditariorum iam sancit AVREA BULLA cap. 27. §. 6. Sicut hactenus obseruatum fuisse compirimus, ita statuimus, ut per actis per Principes Electores seculares praedictis eorum officiis, ille de Falckenstein subcamerarius, equum et pelues Marchionis brandenburgensis pro se recipiat, magister coquinae de Nortenberg equum et scutellas Comitis palatini, vicepincerna de Limpurg equum et scyphum Regis Bohemiae, vicemareschallus de Pappenheim equum, baculum et mensuram praedictam Duxis Saxoniae.
- 31) AVREA BULLA cap. 27. §. 2. Ingresso Imperatore vel Rege ad mensam Principes Electores ecclesiastici, videlicet Archiepiscopi, stantes ad mensam cum ceteris praelatis benedicent eandem, secundum ordinem, qui circa hoc eis in superioribus est praescriptus. Et benedictione completa, iidem Archiepiscopi omnes, si adsint, alioquin duo vel unus, sigilla et typaria imperialia siue regalia a cancellario curiae recipient, eoque, in cuius archicancellariatu curiam ipsam celebrari

celebrari continget, in medio procedente, et aliis duobus ex altero latere subiunctis, sigilla et typaria ipsa, omnes quidem baculum, in quo suspensa fuerint, manibus contingentes ea portabunt et ante Imperatorem vel Regem reverenter ponent in mensam. Imperator vero sive Rex eadem ipsis statim restituet, et in cuius archicancellariatu hoc fuerit, ut praefertur, is maius sigillum collo appensum usque ad finem mensae gestabit et deinceps; donec ad hospitium suum perueniat, ab imperiali sive regali curia equitando. Baculus vero, de quo praemittitur, esse debebit argenteus, duodecim marcas argenti habens in pondere, cuius tam argenti, quam pretii partem tertiam unusquisque archiepiscoporum ipsorum persoluet, et baculus ipse protinus una cum sigillis et typariis debet cancellario imperialis curiae assignari, in usus suos beneplacitos conuertendus. Postquam autem is, quem ordo terigerit, portando sigillum maius, ab imperiali curia ad hospitium suum redicrit, ut praefertur, statim sigillum ipsum per aliquem de suis familiaribus praedicto imperialis curiae cancellario remittet super equo, quem iuxta propriae dignitatis decentiam et amorem, quem ad cancellarium curiae gesserit, iphi cancellario tenebitur elargiri.

32) AVREA BULLA cap. 28. §. 2. Principes (Electores) suas inter se in una eademque altitudine sedes habebunt et mensas. §. 3. Infra sessionem imperialem mensae pro septem Principibus Electoribus ecclesiasticis et secularibus praeparentur, tres videlicet a dextris et tres aliae a sinistris et septima directe versus faciem Imperatoris vel Regis — ita etiam quod nullus alius, cuiuscunque dignitatis vel status existat, sedeat inter ipsos, vel ad mensas eorum.

33) AVREA BULLA cap. 3. §. 2. Treuirensis ex opposito, linearis directione, versus Imperatoris faciem — sedeat in omnibus publicis actibus imperialibus, pura iudiciis, collationibus feudorum et in reflectionibus mensarum ac in consiliis et omnibus aliis agendis, propter quae contingit, eos (Electores) pro honore seu utilitate imperiali tractandis mutuo conuenire.

34) AVREA BULLA cap. 28. §. 6. Quandocunque aliquis Princeps Elector ecclesiasticus, vel etiam secularis, iusto impedimento detenus, ad imperiale curiam vocatus, venire non valens, vuntium vel

vel procuratorem, cuiuscunque dignitatis vel status, transmiserit,
missus ipse, licet loco mittentis iuxta datum sibi ab eo mandatum
admitti debeat, in mensa tamen vel sede, quae illi, qui ipsum
transmittit, deputata fuerit, non sedebit.

35) Carolus IV. Imperator Ducem Luzelburgicum quidem iam orna-
rat officio palatino, cibos incidendi in accubitu regali, sed Du-
cibus illis non continuauit.

36) Electores ecclesiastici etiam finito prandio iubentur gratias
agere precando ad mensam, per AVREAM BULLAM cap. 23. §. vn.
quod quidem ex munere prisco archicapellani adhuc superat.



etiam in aliis, quibus locis non solum in primis, sed etiam in aliis
notitiae sunt, ut in aliis locis non solum in primis, sed etiam in aliis
notitiae sunt, ut in aliis locis non solum in primis, sed etiam in aliis
notitiae sunt, ut in aliis locis non solum in primis, sed etiam in aliis

notitiae sunt, ut in aliis locis non solum in primis, sed etiam in aliis
notitiae sunt, ut in aliis locis non solum in primis, sed etiam in aliis
notitiae sunt, ut in aliis locis non solum in primis, sed etiam in aliis

notitiae sunt, ut in aliis locis non solum in primis, sed etiam in aliis
notitiae sunt, ut in aliis locis non solum in primis, sed etiam in aliis
notitiae sunt, ut in aliis locis non solum in primis, sed etiam in aliis




Kh 1283

X0360312



B.I.G.



Vg Th 1732

COMMENTATIO
DE
S P L E N D O R E
A R C H I O F F I C I O R V M
IN CAROLI VI. IMP. ROM. GERM.
CORONATIONE,
AVCTORE
G E O R G I O D A V I D E *Aland*,
PROFESSORE PVBLICO ET COLLEGIO MAIORI
PRINCIP. COLLEGIATO.



L I P S I A E
APVD IO. CHRIST. LANGENHEMIVM
CIC 19CC LXXI.

Rh 1283

